genitus esset, regnare passuros pertinaci acclamatione declarant; vocarique Aridæum jubent, quem Meleager, infestus invisusque Perdiccæ strenuè perducit in regiam, et milites Philippum consalutatum regem appellant.

XIX. Cæterùm hæc vulgi erat vox, principum alia sententia. E quibus Pithon consilium Perdiccæ exsequi cœpit; tutoresque destinat filio ex Roxane futuro, Perdiccam et Leonatum, stirpe regiâ genitos. Adjecit, ut in Europâ Craterus et Antipater res administrarent. Tum jusjurandum à singulis exactum, futuros in potestate regis geniti Alexandro. Meleager haud injuriâ metu supplicii territus, cum suis secesserat. Rursùs Philippum trahens secum, irrupit in regiam, clamitans: Suffragari spei publicæ, de novo rege paulò antè conceptæ, robur ætatis; experirentur modò stirpem Philippi, et filium ac fratrem regum duorum; sibimetipsis potissimùm crederent. Nullum profundum mare, nullum vastum fretum et procellosum tantos ciet fluctus quantos multitudo motus habet, utique, si novâ et brevi duraturâ libertate luxuriat. Pauci Perdiccæ modò electo, plures Philippo, quàm speraverat, imperium dabant. Nec velle, nec nolle quidquàm diù poterant; pœnitebatque modò consilii, modò pœnitentiæ ipsius. Ad ultimum tamen in stirpem regiam inclinavêre studiis. Cesserat ex concione Aridæus, principum auctoritate conterritus; et, abeunte illo, conticuerat magis quàm languerat militaris favor. Itaque revocatus, vestem fratris, eam ipsam quæ in sellâ posita fuerat, induitur. Et Meleager, thorace sumpto, capit arma, novique regis satelles sequitur: phalanx hastis clypeos quatiens, expleturam se sanguine illorum qui affectaverant nihil ad ipsos pertinens regnum, minabatur: in eâdem domo familiâque imperii vires remansuras esse: hæreditariam imperium stirpem regiam vindicaturum: assuetos se nomen ipsum colere venerarique; nec quemquam id capere nisi genitum ut regnaret.

XX. Igitur Perdiccas territus, conclave in quo Alexandri corpus jacebat, obserari jubet. Sexcenti cum ipso erant, spectatæ virtutis; Ptolemæus quoque se adjunxerat ei, puerorumque regia cohors. Cæterùm haud difficulter à tot millibus armatorum claustra per-